Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35083
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Et tu puer propheta altissimi vocaberis: praibis enim ante faciem domini parare vias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum eorum. Per viscera misericordiae dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Ant. Erexit nobis dominus cornu salutis in domo David puri sui sicut locutus est a saeculo. Or.

Fac nos quaesumus domine deus noster tuis obedire mandatis: quatenus nobis propitia cuncta praestantur. Si te totis viribus ac sinceris mentibus sequimur auctore. Ps. vel de dom. Oratio.

Deus deus meus respice in me quare me dereliquisti longe a salute mea: verba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem et non exaudies: et nocte et non ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas: laus israel. In te speraverunt patres nostri: speraverunt et liberasti eos. Ad te clamaverunt et salvi facti sunt: in te speraverunt et non sunt confusi. Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum et abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit in domino eripiat eum: salvum faciat eum quoniam vult eum. Ps. xxi

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre spes mea ab uberibus matris meae: in te projectus sum ex utero. De ventre matris meae deus meus es tu: ne discesseis a me. Quoniam tribulatio proxima est: et non est qui adjuvet. Circumdederunt me vitulli multi: taurorum pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens et rugiens. Sicut aqua effusus sum: et dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tamquam cera liquescens: in medio ventris mei. Arruit tamquam testa virtus mea: et lingua mea adhesit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me. Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me. Fodierunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero considerabant et inspiciebant me diviserunt sibi vestimenta mea: et super vestem meam miserunt sortem. Tu autem domine ne elongaris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice. Erue a framea animam meam: de manu canis unicam meam. Salva me de ore leonis: et a cornibus unicornium humilitatem meam. Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiae laudabo te. Qui timetis dominum laudate eum: universum semen iacob magnificate eum. Timeat eum omne semen israel: quia non spernit neque despexit deprecationem pauperis. Nec avertit faciem suam a me: et dum clamarem ad dominum exaudivit me. Apud te laus mea in ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum. Edent pauperes et satiabuntur et laudabunt dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in saecula saeculorum. Recordabuntur et convertentur ad dominum: universi